

Diese PDF-Ausgabe wurde automatisch mit einem im Rahmen dieses Projektes entwickelten Satzsystem generiert. Da sich diese Softwarekomponente noch im Aufbau befindet, werden zurzeit noch nicht alle zur exakten Darstellung der Libretti erforderlichen Funktionalitäten unterstützt (z.B. Titelformatierung, Kapitälchen, Mehrspaltigkeit, etc.).

CLEMENTIA CROESI

TRAGOEDIA

IN SCENAM DATA A SYNTAXI IN UNIVERSITATE SALISBURGENSI

III IDUS MAII MDCCLXVII

SALISBURGI

Typis Ioannis Iosephi Mair, Aulico-Academici Typographi et Bibliopolae p. m.  
Haeredis.

ARGUMENTUM

Regum esse proprium clementiae insigne, suo Croesus Lydiae rex comprobavit exemplo. Is Adastrum (filius hic erat Mydae Phrygum regis) ob coedem fratri imprudenter illatam patria eiectum rebusque exutum omnibus hospitio exceperat, atque inter carissimos semper habuerat. Factum interea, ut feroce apro Mysiam depopulante incolae a Croeso Atyn filium, qui pessimam prosterneret feram, ardentem rogarent. Croesus (in somno utpote praemonitus, Atyn cuspide periturum) diu illorum precibus restitit; urgentium autem votis tandem annuens filium concessit, adiuncto tamen Adrasto comite, qui salvum et incolumem denuo reduceret. Verum is emissio infeliciter iaculo non feram, sed Atyn traiecerat. Croesus summo exinde adfectus dolore reducem Adrastum super Atys cadaver imprudentis erroris subplicium urgentem iterum in gratiam recepit.

Ita Herodotus, Historiae, Liber I.

Scena figitur in urbe Sardi.

**PROLOGUS**

*Oebalus rex fulmine aram Apollini sacrificantis destruyente territus, a suis erigitur et Apollinem exsulem hospitio excipit.*

*OEBALUS, MELIA, HYACINTHUS, APOLLO, SACRIFICULI APOLLINIS.*

HYACINTHUS

Amice! iam parata sunt omnia. Aderit,  
ut spero, cum sorore dilecta meus  
ad sacra, quae constituit, actutum pater.

ZEPHYRUS

Ni fallor, est Apollo, quem colitis.

HYACINTHUS

Hic est.

ZEPHYRUS

Apollini ergo tanta sacrificia parat  
Oebalus? an alios nescit in coelis deos?  
An Semelis ergo natus, an Iuno, Venus,  
Diana, Mars, Vulcanus, an superum potens  
pater atque princeps ture nil vestro indigent?

HYACINTHUS

Quibusque consecramus, o Zephyre! diis,  
nullusque nostris vacuus a templis abit:  
at solus istud Apollo sibi templum suo  
vindicat honori. Genitor hunc magnum deum  
veneratur, et ego veneror exemplo patris.

ZEPHYRUS

O care! quam libenter offerrem ilia  
pectusque, si tu Apollo mihi meus fores!

HYACINTHUS

Dilecte quid me, Zephyre! permisces diis?  
Honore non me dignor, at novi bene:  
extorsit ista nimius in Hyacinthum amor.  
(*Venit Oebalus et Melia.*)  
Sed en! sorore comite nunc genitor venit.

OEBALUS

Dic nate! num parata sacrificio hostia  
et ignes?

HYACINTHUS

Ecce genitor! ad nutum omnia  
parata praestolantur adventum tuum.

OEBALUS

Bene: ergo succendatur a flamine focus,  
et ture plurimo ara praegravis gemat,  
fumusque sacrificantis in nubes eat.

MELIA

Heu genitor! atra nube tempestas minax  
ingruit, et omnis glomerat huc noctem polus.

OEBALUS

Adeste! longioris impatiens morae  
Apollo tus et hostiam a nobis petit.  
Fugiet ad istas saeva tempestas preces,  
et blanda facies solis his iterum plagis  
redibit. Agite! fundite et mecum preces.

## CHORUS

Numen o Latonium!  
audi vota subplicum  
qui ter digno  
te honore  
certant sancte colere:  
hos benigno  
tu favore  
subditos prosequere.

## SOLUS OEHALUS

O Apollo creditam  
tibi semper protege  
et dignare lumine  
Oebali Laconiam.

## CHORUS

Numen o Latonium!  
audi vota subplicum  
qui ter digno  
te honore  
certant sancte colere:  
hos benigno  
tu favore  
subditos prosequere.  
(*Fulmen ignem et aram destruit.*)

## MELIA

Heu me! periiimus! numen heu nostras preces  
respuit!

## OEHALUS

An aliquis forsitan ex vobis deum  
violavit?

## MELIA

Haud me genitor ullius ream  
invenio culpa.

## HYACINTHUS

Semper hunc colui deum.  
(O Zephyre! quantum timeo ne verbis tuis  
haec ira sit succensa quae dixi prius.)

## ZEPHYRUS

(Hyacinthe! si me diligis, cela patrem,  
et verba prolata prius a nobis tace!)

## OEHALUS

Extinctus ignis, ara subversa, hostia  
contemta nobis grande praesagit malum.  
Heu totus hoc concussus a fulmine tremo!

## HYACINTHUS

Erigere mentem genitor! insontem geris  
animum; quid ergo numine a bono mali  
metuas? Ab isto fulmine es laesus nihil,  
nostrumque nemo, quotquot adsumus, ruit.  
Vivimus, et omnes pristinus vigor beat:  
hinc terruisse voluit hoc fulmine deus  
terras, potestas pateat ut mundo magis,  
maneatque cum fiducia in nobis timor.

## HYACINTHUS

Saepe terrent numina,  
surgunt et minantur:  
fingunt bella,  
quae nos angunt,  
mittunt tela,  
quae non tangunt;

at post ficta nubila  
 rident et iocantur.  
 Et amore  
 et tremore  
 gentes stringunt subditas:  
 nunc amando,  
 nunc minando  
 salva stat auctoritas.

OEBALUS

Ah nate! vera loqueris; at metuo tamen,  
 Apollo ne fors perdat hoc igne Oebalum.  
 (*Accedit Apollo.*)

APOLLO

Apollo vestras audit, o credite! preces  
 suamque pollicetur his terris opem,  
 recipere si velitis hunc modo exsulem  
 iramque fulminantis exosum Iovis.

OEBALUS

Quid? – numen hac sub veste pastoris latens  
 in nostra praesens regna suscipi cupit?

HYACINTHUS

En genitor! ut luisse nos superi solent!  
 Iam tibi medelam saeva post vulnera deus  
 adfert, tuamque regiam praesens beat.

MELIA

O quam beato sidere haec nubila dies  
 nos recreat, ipse Apollo dum nostros Lares  
 optatus hospes visitat! – O quantus decor!  
 quae forma! – quanta dignitas! – quanta omnibus  
 gloriaque membris atque maiestas sedet!

APOLLO

Melia! quid in pastore tam dignum vides  
 suspensa quod mirere?

MELIA

Video – – –

APOLLO

Et quid vides?

Eloquere pulcra!

MELIA

Video pulcrum Apollinem,  
 cui cum parente corda iam dudum obtuli.

APOLLO

Quod obtulisti pectus, haud revoca amplius;  
 hoc inter orbis dona praeprimis placet.

ZEPHYRUS

(Hyacinthe! quantum timeo praesentem deum!)

HYACINTHUS

(Me quoque tremenda dignitas timidum facit.)

APOLLO

Hyacinthe! amicum semper addictum tibi  
 habebis in me, amare si deum potes.

HYACINTHUS

O quanta res, diligere si Hyacinthum potes!

ZEPHYRUS

(Heu! nunc amatum Apollo mihi puerum rapit!)

OEBALUS

Dies beata! – numen o sanctum! meos,  
manere si dignaris, ingredi Lares,  
diuque me rogante, nobiscum mane.

APOLLO

Habebis in me, crede, tibi facilem deum.  
Iam pastor Apollo  
custodio greges,  
nixus et baculo vigilans sto;  
iam pascere nolo  
et visito reges,  
iam medicinas mortalibus do.  
Moestos levare,  
aegros iuvare  
est sola tangens Apollinem res:  
hinc me manente,  
vobis favente  
rex omni rege beatior es.

## ACTUS I

*Croesus ad instantes redituro filio nuptias omnia parans sinistro inprimis  
omine, dein infausto Atys ab Adrasto peremti nuntio territus, ex reducti nati  
vulnere in summum coniicitur dolorem.*

## ACTUS II

*Rege partim dolore peremti filii et procerum stimulis ad vindictam, partim amore  
erga Adrastum et Mandanae ac Olynti precibus ad clementiam propendente,  
Pharnaspes omnium maxime Adrasti subplicium urget.*

## CHORUS I

*Apollo propter necem Hyacintho illatam Oebali regia discedere iubetur.*

OEBALUS, MELIA, APOLLO, ZEPHYRUS.

OEBALUS

Amare numquid filia, haud dubito, deum,  
favore qui ter dignus est nostro, potes?

MELIA

Quid loquere pater? – Apollo mortalem sibi  
me coniugali cupiat adiungi thoro?

OEBALUS

Dubitare noli, Apollo te sponsam petit,  
meumque, libertate sed nata utere  
tua, roganti placidus adsensum dedi.

MELIA

Negare num me genitor! adsensum putes?  
Quae virgo contempsisse divinum virum  
tantosque honores, stulta nisi et animi impotens  
fuerit, et obstitisse fortunae velit?

OEBALUS

Prudenter istud nata! coniugium eligis;  
 sic namque per te frater et genitor tuus,  
 sic et nepotes sorte divina eminent,  
 sic nostra diva efficitur his facibus domus.

MELIA

Dic, ubi moratur Apollo? – colloquio illius  
 o ut liceret optimo actutum frui!

OEBALUS

Cum fratre disco ludit et Zephyro simul  
 in nemore. At huc redibit, ut spero, citus,  
 tuumque me praesente consensum petet.

MELIA

O petat! habebit omne, quod pectus cupit.  
 Laetari,  
 iocari,  
 fruique divinis honoribus stat,  
 dum Hymen optimus  
 taedis et floribus  
 grata,  
 beata  
 connubia iungit et gaudia dat.  
 Iam diva vocabor,  
 si numen amabo;  
 per astra vagabor  
 et nubes calcabo;  
 et urbes, et regna devoveant se,  
 et fauni adorent, et satyri me.  
 (*Accedit Zephyrus.*)

ZEPHYRUS

Rex! de salute filii est actum; iacet  
 Hyacinthus!

OEBALUS

Heu me! nuntium o tristem nimis!  
 Qua morte cecidit?

ZEPHYRUS

Ictus a disco ruit.

OEBALUS

Quis filium occidisse non timuit meum?

ZEPHYRUS

Apollo.

OEBALUS

Contremisco!

MELIA

Superi! quid? Deus,  
 qui me beare voluit, hic fratri necem  
 sit machinatus? Ista quis credat tibi?

ZEPHYRUS

Vera loquor, et testis ego pereuntis fui.  
 Vix lapsus est Hyacinthus, aufugi, malum  
 ne simile feriat forsitan et nostrum caput.

OEBALUS

Sic ergo plectis numen innocuos? – Favor,  
 quo te recepi, morte num nati unici  
 dignus erat? – Ergo Meliam et natam quoque  
 surripere patri numen o falsum paras?

MELIA

O absit a me genitor! ut sponsum eligam,  
deoque, qui cruore germani madet,  
nuptura porrexisse praesumam manus.

ZEPHYRUS

(Quid audio? an coniugia meditatur deus?  
An Meliam et rapuisse mihi amatam cupit? –  
Qui rapuit Hyacinthi, ane et istius mihi  
rapiet amorem?)

OEBALUS

Zephyre! quae causa improbum  
adegit hoc ad facinus?

ZEPHYRUS

Haud ullam scio.  
Natus ad amoenum litus Eurotae stetit,  
discumque metae proximum adspiciens, meus  
clamabat, ecce discus est vestro prior,  
metamque tetigit. Apollo tum discum iacit,  
loquentis et propellit in pueri caput,  
quo laesus iste pronus in terram ruit.  
Non dubito, quin extinctus hoc disci impetu  
perierit.

OEBALUS

An sic furere non dubitat deus,  
ut sibi benignum privet et prole Oebalum?  
Exesse regno numen invisum mihi  
meisque iubeo. Zephyre! fac pellas reum,  
maiora ne, vel plura mihi damna inferat.

ZEPHYRUS

Rex! regna tua sunt: ipse tu pelle impium.  
Tu morte nati laesus es. Timeo deum,  
qui fulmen hoc torqueret in nostrum caput.  
(Expellat utinam! noster ut possit dolus  
latere; nam caedis ego sum factae reus!)

OEBALUS

Abibo. Vos manete! Si veniat deus  
ad vos, abire nata! crudelem iube.  
Ad litus Eurotae ibo, num vivat, meum  
videre natum. Forsan occurret mihi  
Apollo, regnis numen exosum meis.  
(*Abit.*)

ZEPHYRUS

(Succedit ad mea vota, succedit dolus,  
meliaeque me dilecta nunc coniux manet.)

MELIA

Non capio, cur Apollo ne laesus quidem  
necarit unice ante dilectum sibi  
Hyacinthum. Amare qui sororem me queat,  
si fratris ante polluat fato manus?

ZEPHYRUS

Dilecta! ne mirare, quod tantum scelus  
Apollo perpetrarit; haud nosti impium:  
astutus est, crudelis, inconstans, levis;  
hinc exulare iussus est coelis, suo  
furore ne turbaret unanimes deos.

MELIA

Meliora credidisse de tanto deo  
mens dictat. (Ast incertus est animus tamen,  
timorque spesque pectore alternant vices.)

ZEPHYRUS

Melia! quid animo volvis? ah sponsum abiice,  
cuius cruore dextra fraterno calet,  
Zephyrumque, cuius ipsa sat nosti fidem,  
amore, quo beatus efficiar, bea.

MELIA

Nunc fata fratris cogito, haud Zephyri faces.

ZEPHYRUS

O dura! num sprevisse sic Zephyrum potes?  
En! duos conspicias:  
amantem et nocentem,  
iuvantem et furentem;  
cui manum porrigis?  
Apollo te necabit:  
at Zephyrus amabit.  
Fraterno qui dexteram tinxit cruore,  
tentabit in tenera plura sorore:  
quem prudens eligis?  
Heu! numen! ecce! numen huc gressum movet;  
Melia quid agimus? indica effugii locum!  
Timeo ferocem.

MELIA

An ergo me solam obiicis?  
Subsiste! num iactata sic perstat fides?

ZEPHYRUS

Ne patere, quaeso, ut noceat insonti deus!  
(*Accedit Apollo.*)

APOLLO

Adesne latro! fraudis infandae artifex!  
Hyacinthum amicum rapere non fuerat satis?  
rapuisse sponsam numquid et nostram simul  
scelestes! tentas? Crimen et mendax novis  
criminibus auges? Impie! iratum tibi  
quid possit, experire, iam numen modo!  
Amantis et nocentis, et iuste quidem  
nocentis experire vindictam dei!  
Irruite venti! claude sceleratum specu  
Aeole!

ZEPHYRUS

Quid? heu me!  
(*Zephyrus in ventum mutatus abripitur.*)

MELIA

Quid agis o numen grave!  
Funeribus an replere vis regnum patris?  
Iam fratre caeso occidis et Zephyrum simul?  
Tyranne! nunc et Meliam et regem obprimes?

APOLLO

O cara!

MELIA

Quid? vocasse me caram audes?  
Cruente!



APOLLO

Me percipere si non sit grave — —

MELIA

Est grave, tace! atque nostra, sic genitor iubet,  
illico relinque regna, ne noceas magis!

APOLLO

(Ah! pone tandem fulmen o superum pater!  
Quousque persequetur hic miserum furor?)

MELIA

Discede  
crudelis!  
Gaudebo, tyrannus si deserit me!  
Vah! insolentem,  
qui violat iura!  
Discede! discede! nam metuo te.

APOLLO

Est, crede!  
fidelis,  
est mitis Apollo, qui deperit te.  
Quid? innocentem  
sic abicis dura!  
Sic perdis amicum, si reicis me.  
(*Abit Melia.*)

APOLLO SOLUS

Quem coeli premunt inopem,  
an terris agat exsulem?  
Manebo!  
Quousque resederit dira  
quae pectora sauciat ira,  
latebo.

### ACTUS III

*Pharnaspes dolo Adrastum perditurus, dum Mandana cum Olynto fratrem servare conatur, Croesum, sceleris patrati causa et culpa in sororem quoque et filium Adraستي subdole coniecta, ad vindictam exagitat; suam interea operam miseris addicente Clitandro.*

### ACTUS IV

*Pharnaspe de successu doli laeto, Mandana cum Clitandro agens fratrem neci subtrahere fatagit, sed conatu irrito.*

### CHORUS II

*Oebalus, cognita Apollinis innocentia, hunc benigne recipit, eique filiam coniugem tradit.*

*OEBALUS, MELIA, APOLLO, HYACINTHUS.*

HYACINTHUS

Non est. —

OEBALUS

Quis ergo nate! dic, si patrem amas,  
quis te peremit?

HYACINTHUS

Zephyrus; – heu me! – si – deus –  
adesset! –

OEBALUS

Heu, iam moritur! –

HYACINTHUS

O Pater! – Pater!  
mors – est – acerba!

OEBALUS

Nate!

HYACINTHUS

Ge-nitor! – Ah! vale! –  
(*Moritur.*)

OEBALUS

Hyacinthe! – nate! – vixit – exanimis iacet! – –  
"Apollo", dixit, "innocens est, o pater!"  
"Crede mihi, non est; Zephyrus est auctor necis."  
Sic ergo mecum Zephyre ter mendax! agis?  
Sic numen ipsum sceleris et tanti reum  
arguere, sic me fallere haud regem times?  
Cruente! faxim crimen hoc proprio luas  
cruore! – Mortem filii an inultus feram?  
Ut navis in aequore luxuriantem  
per montes, per valles undarum iactatur,  
et iamiam proxima nubibus stat,  
et iamiam proxima tartaro nat;  
sic bilis a pectore bella minante  
per corpus, per venas, per membra grassatur:  
furore sublevor;  
dolore deprimor.  
Ira, vindicta conglomerant se,  
atque quassare non desinunt me.  
(*Accedit Melia.*)

MELIA

Quocumque me converto, crudelis dei  
monumenta detestanda conspicio. Prius  
perire Zephyrum videram et fratrem modo  
video natate sanguine insontem suo.

OEBALUS

Quid comite nullo filia huc infers pedem?  
An latro iamiam fugit?

MELIA

Hunc iussi illico  
vitare nostra regna; nam caedem improbus  
nova gravare caede non timuit deus.

OEBALUS

Quid loquere? caedem nata! quam narras novam?

MELIA

O rex! amicum rapuit, et Zephyrum quidem,  
ventisque me vidente lacerandum dedit.

OEBALUS

O iustus est Apollo, dum plectit scelus,  
quod imputavit perfidus et atrox deo  
Zephyrus! Hic auctor, filia! est factae necis.  
Non est Apollo: Zephyrus in fratrem tuum  
discum agere non dubitavit.

MELIA

Unde autem pater!

haec nosse poteras?

OEBALUS

Natus haec retulit mihi,

nam vivus est inventus a nobis. Meis  
extinctus est in manibus.

MELIA

Heu me! quid? pater!

quid ergo regno exisse iussisti deum?

OEBALUS

Filia! dolore motus et Zephyri dolis  
delusus id iussisse me memini. Impium  
quis tale sibi timuisset a Zephyro scelus?

MELIA

O genitor! omnes perdit iam iam sumus!  
Discessit, heu! discessit a nobis deus!  
O crede, non inultus id probrum feret.

OEBALUS

Quid? nata! discessisse iam numen putas?

MELIA

Nil dubito; namque exire de regno tuo  
Apollinem ipsa, linquere et nostros Lares  
iussi. O ut hunc revocare nunc possem deum!

OEBALUS

Heu! fata quam sinistra nos hodie obruunt!  
Natus cadit,  
atque deus  
me nolente,  
nesciente  
laesus abit.  
Regnum sine numine  
iam non diu stabit:  
numen! quaeso, flectere,  
et ad nos revertere!

MELIA

Frater cadit,  
atque meus  
te iubente,  
me dolente  
sponsus abit.  
Sponsa sine complice  
quaeso, quid amabit?  
Noli sponsam plectere!  
Numen! ah! regredere!  
(*Accedit Apollo.*)

APOLLO

Rex! me redire cogit in Hyacinthum amor.  
Ignosce, quod numen ego tua regna audeam  
praesens beare! Disce, quid numen queat!  
Hyacinthe surge! funus et flore aemulo  
nomenque praeferente defuncti tege.  
(*Subsicens cum funere tellus hyacinthos flores germinat.*)

OEBALUS

Quid video? – Surrexisse de nato meo  
conspicio flores? –

MELIA

Numen o nimium potens!  
Pudore me suffusa profiteor ream.  
Ad verba Zephyri, patris ad iussa omnia,  
fecisse quae me poenitet, feci.

OEBALUS

Optime  
parce deus! ignarus ego, quis fuerit necis  
auctor patratae, pessimo Zephyro fidem  
habui, meumque credidi natum tua  
periisse fraude. Zephyrus o quanta improbus  
induxit in regna mea, ni parcas, mala!

MELIA

O numen! haud fuisse contemptum putes;  
abire quod te iusserim, imprudens fui  
credulaque nimium, et ira mihi verba abstulit,  
quae de dolore fratris occisi meant.

APOLLO

Confide rex! Apollo non fugiet tua  
regna. Manet, et manebit heic tecum, fide  
iam stare si promissa demonstres tua.

OEBALUS

Intelligo. Ecce nata! te sponsam deus  
dignatur elegisse.

MELIA

Num credam deum  
amare posse Meliam?

APOLLO

O crede! ipsemet  
Iupiter amare saepe mortales solet;  
amare namque convenit tantum diis;  
vobis amari.

MELIA

Numen! en famulam, suo  
quae pro parente pectus hoc offert tibi.

OEBALUS

En! si placere sponsa mortalis potest,  
Apollo! nostra filiam adductam manu  
accipe, meoque semper in regno mane.  
Hyacinthus obiit: alter Hyacinthus mihi  
eris, manere filia hac factus gener  
regione si digneris in nostra.

APOLLO

Oebale!  
accipio laetus Meliae oblatae manum,  
rebusque semper placidus adsistam tuis.

MELIA

Iustitia sic tua deus elucet magis.

OEBALUS

Sic innocentem debita haud merces fugit.

APOLLO

Sic saecula te futura clementem sonent.

APOLLO

Tandem post turbida  
fulmina,  
nubila  
Tonantis murmura  
pax alma virescit et explicat se.

MELIA

Post vincla doloris

OEBALUS

Post bella furoris

APOLLO

Post monstra pavoris

OEBALUS, APOLLO ET MELIA

vos|nos iungit amabile pignus amoris.

OMNES

Post fata

APOLLO

sperata

MELIA

beata

OEBALUS

optata

OEBALUS

vos taeda coronat et excitat me.

APOLLO ET MELIA

nos taeda coronet et erigat te.

## ACTUS V

*Rex ab Hystaspe mitior factus, novis autem per Pharnaspem et Datim facibus ad iram concitatus sorori, filio et ipsi denique Adrasto mortem decernit; a Megabaso tamen Pharnaspis dolum edoctus, Adrastum cum sorore et nato in gratiam denuo recipit.*

### AUCTOR OPERIS MUSICI

Nobilis dominus Wolfgangus Mozart, undecennis filius nobilis ac strenui domini Leopoldi Mozart capellae magistri.

### PERSONAE IN MUSICA

OEBALUS, Lacedaemoniae rex Ornatissimus ac doctissimus dominus  
 Mathias Stadler, theologiae moralis et iurium auditor  
 MELIA, Oebali filia Felix Fuchs ex capella, in grammatica  
 HYACINTHUS, Oebali filius Christianus Enzinger ex capella, in rudimenta  
 APOLLO, ab Oebalo hospitio exceptus Ioannes Ernst ex capella  
 ZEPHYRUS, Hyacinthi intimus Iosephus Vonterthon ex syntaxi  
 SACRIFICULUS APOLLINIS PRIMUS Iosephus Bruendl ex Poesi  
 SACRIFICULUS APOLLINIS SECUNDUS Iacobus Moser ex syntaxi

### PERSONAE IN ACTIONE

CROESUS, Lydiae rex Antonius Pabmpichler  
 ATYS, Croesi filius Ioannes Krueger  
 ADRASTUS, Midae filius in aula Croesi Nobilis Augustinus Preitenbach  
 OLYNTHUS, Adrasti filius Nobilis Mathias Ranftl  
 MANDANA, Adrasti soror et sponsa Atys Franciscus Pichler  
 MEGABASUS Iosephus Forschner |  
 HYSTASPES Antonius Hartmair | Proseres  
 PHARNASPES Bernardus Eder |  
 DATIS Iosephus Mueller | Duces  
 CLITANDER Franciscus Prugger |  
 PHILINTO, Popa Mathaeus Flatscher  
 DIMNUS, Croesi Ephebus Iudas Thaddaeus Moesl

*U. I. O. G. D.*